



Samelbd.

0/0

die,

DE
ORATIONE DECORA
CATONIS
CICERONIANI


EXPONIT
ET
AD ORATIONES IVVENILES

D. XII. APRILIS A. O. R. ∞ 15 CC XXXX

AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
LYCEI NOSTRI

HVMANISIME INVITAT
M. MICH. HEINR. REINHARDVS
LYCEI TORGAVIENSIS RECTOR

TORGAVIAE
LITERIS PETERSELLIANIS



Semper in autoribus, iuuentuti interpretandis, optimus quisque institutionis scholasticae magister operam dedit, ut non solum linguae Latinae rationem doceret, sed etiam ad veterum sapientiam iuueniles animos sensim traduceret & conformaret. Quis enim non videt, paruum esse studium neque tot annorum curriculo dignum, solum memoriam exercere atque ditare, nisi etiam intelligendi iudicandique facultatem exacuas, atque tenerum animum eadem opera assuefacias virtuti? Hae certe de causa optima priscae sapientiae monumenta ad linguae Latinae cognitionem iuuentuti proponuntur, ut vna cum vocabulis etiam prudentiam virtutisque disciplinam, sub illis latentem, inde hauriat & percipiat. Etsi autem ad hunc finem consequendum perutile est, in autorum lectione praecipua vitae notare, & illustria virtutis exempla introspicere, laudare, commendare: tamen in eo non sunt omnia, cum alias contenti esse possemus breuibus sicisque sapientiae formulis & curiosa optimorum exemplorum collectione. Sed ita semper existimaui, ita mecum statui; quemadmodum omnino verum est illud Roscianum a) apud Ciceronem, *caput esse artis docere*: ita doctorem quoque plurimum asserre non solum ad dicendi sed etiam ad iudicandi facultatem, si id semper agat, ut demonstret, quam decora quoque sit sui autoris oratio. Praclare certe Quintilianus monet doctorem b) ut praecipue illa infigat animis, quae in oeconomia virtus, quae in decoro rerum; quid persona cuique conuenerit, quid in sensibus laudandum, quid in verbis, ubi copia probabilis, ubi modus. Quam viam si sequerentur doctores, neque ipsi opus haberent in autorum enarratione ad inanem locorum communium aut variae doctrinae confugere ostentationem, & profecto discipuli quoque penitus scriptorum summorum diligentiam introspicerent, admirarentur, amarent, atque eorundem plus proficerent exemplo. Cum itaque nuper

a) de Orat. I, 29.

b) Instit. Orat. I, 8, 17.

per admodum Ciceronem de senectute meis interpretarer, atque ostenderem, quam senilis, quam consentanea, quam denique Catoniana sit tota orationis forma & ratio; & ex iis nonnulli, qui ingenii essent excitationis, propter rei difficultatem vix sibi possent persuadere, quod orator Romanus illud decori, fortuiti forsitan, consilium semper spectauerit: quod eo tempore promissi & suscepti, nunc monstrare conabor, idoneis testimoniis adiutus, omnino Catonem talem fuisse, qualem & sentientem & dicentem autor noster fecit.

Equidem ante omnia illud mihi video expediendum & extra controversiam ponendum esse, quod Cicero decorum illud, quod quarimus, sequi studuerit. Sed vero cum ipse testatur, se omnem sermonem tribuisse M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio c) hanc ipsam, quis dubitet, non tam in tanto nomine, cui suum fortasse parum cedere existimavit, quam potius in ipsa conformatione totius orationis eum sibi visum esse invenisse, quam præbere posset viro pridem mortuo, cuius virtus atque dignitas esset omnium consensu concessa & inuidiæ expers, cuiusque senectus ipsa & sua maior esset, & propter vitæ diuturnitatem ætatis huius comoda atque incommoda satis experta esset, eoque facilius inter se posset comparare? Illud ipsum certe in causa est, quod alio loco non solum indicet d) se in Catone Maiore Catonem induxisse senem disputantem, quia nulla videretur aptior persona, quæ de senectute loqueretur, quam eius, qui & diutissime senex fuisset & in ipsa senectute præ ceteris floruisse, sed etiam fateatur, se, sua legentem, sic affici interdum, ut Catonem, non se, loqui existimet. Voluit igitur, quod se consecutum esse lætatur, non se, sed Catonem hic loqui, & dum solum Catonem vult audiri, suam personam tam sollicitè studuit subducere lectorum cogitationi, ut, cum vereatur eruditionis insignioris suspicionem, iudicet necessarium, ut excusatione, atque Atticum suum monere, ut, si Cato eruditius videatur disputare, quam consueverit ipse in suis libris, illud attribuat Græcis literis, quarum constet eum perstudiosum fuisse in senectute. e) Quid vero? ipsum tempus, quo Cato fingitur loqui, prudenti consilio delectum est. Ait enim f) quartum annum ago & octogentesimum; & iterum: g) septimus mihi Originum liber est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo. Senex autem scribere historias;

A 2

- c) Cat. I. §. 3.
 d) de Amicitia c. I. §. 4.
 e) Cato. I. §. 3.

- f) ib. X. §. 32.
 g) XI. §. 38. ibid.

id est, Origines suas instituit h) quarum erant libri septem, ut septimus esset ultimus liber. Atque cum duæ sint omnino de morte Catonis sententiæ, altera, quæ ultra nonagesimum annum ætatem eum produxisse statuit i) altera, quæ octogesimo quinto ætatis anno diem obiisse censet: l) Cicero quidem, qui posteriorem secutus est opinionem m) eo anno Catonem dicentem fecit, qui esset morti proximus, quoque diutissime vivens eo vehementius optare illam in orationis fine posset. Hoc igitur anno & ad talem senem veniunt Lælius & Scipio, ex eo quærentes, qua ratione tam facile ferat senectutem. Ne illud quidem mirum. Cum enim Lælio semper coniuncta fuisset cum Scipione cura de re publica & de priuata, eadem domus & militia communis, & voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensus n) eiusdem vero Scipionis soror Catonis nupsisset filio: o) quis miretur, pro tam arctæ conjunctionis iure Scipionem accedere ad sororis focerum & adducere secum hominem, sibi amicissimum, C. Lælium & cum sene familiariter loqui de senectute? Audiamus igitur apud Ciceronem senem, more senili dicentem. Qui si videtur interdum linguæ celeritati indulgere: & fatetur p) senectutem esse naturæ loquaciorem & ætati suæ magnam habet gratiam q) quæ sibi sermonis auxerit aviditatem, atque inprimis, de se ipso dicere, iudicet esse sic senile, ut facile ætati suæ concedatur. r) Quod vero frequenter vitur memoriæ suæ exemplis, virosque nobis commemorat, quos vidit, quos audiuit, quibuscumque versatus est, ut Salinatorem & Albinum s) senes voluptarios, Fabium Maximum, senem facilem, Scipiones & Æmilium, iuuentuti iucundos, Metellum, Pontium & Masinissam, viribus valentes, Duillium, Diogenem Stoicum, Turpionem Ambiuum, C. Gallum, Plaurum, Liuium, alios: hoc, inquam, non solum est hominis diligentis, sed etiam senis eius, qui ad iuuenes possit de rerum usu multaque experientia

h) Nepos in Catone III. §. 3.

i) Liuius XXXIX. 40. Valerius Maximus L. VIII. c. 7. §. 1.

l) Plinius L. XXIX. c. 1. Vellejus Paterculus L. I. c. 13.

m) in Bruto cap. 20. & 15.

n) Cicero in Lælio cap. 4. §. 15.

o) Plutarchus in Catonis vita p. 255. edit. Frobenianæ Basileæ 1540. in forma maxima. Τῷ μὲν ὑπὸ πέντε-

λε θυγατέρα σκιπίωνος δὲ ἀδελφὴν ἠγάγετο πρὸς γάμον.

p) Cic. in Cat. cap. 16. §. 55.

q) ib. cap. 13. §. 45.

r) ib. cap. 9. §. 30.

s) ib. c. 3. §. 7. de Fabio. c. 4. §. 10. de Scipionibus & Æmilio c. 9. §. 29. de Merello §. 30. Pontio c. 10. §. 33. Masinissa §. 34. de Duillio c. 13. §. 44. &c.

tia gloriari, atque vna demonstrare, quod nihil facile moneat, cuius exempla non cognouerit sua aetate. Namque, quod consules, annos, annorum series in hominibus sui temporis nominandis recenseret iisque res a se gestas solet adiungere t) illud ne quidem senile foret, nisi Cato pulcris praeclarisque facinoribus vitam suam distinxisset, iisque singulos fere annos sibi reddidisset commemorabiles. Facile igitur apparet, decorum illud orationis Ciceronianae a nobis plene intelligi non posse, nisi ante omnia nobile illud Catonis pectus aperiamus, ut liceat videre & introspicere, a quibus scientiis ille fuerit instructus, quae fuerint eius voluntates, qui mores. Ne hoc quidem sufficiet, sed externa quoque Catonis facies examinanda erit, quale fuerit corpus, quae fortuna, quae denique vitae instituta, ut omnino cognoscamus, talem viri imaginem fuisse, qualem sermo Ciceronianus nobis pingit. Enimuero ut a scientiis exordiamur, non solum tanta eius celebratur sapientia u) ut quoque cognomen haberet in senectute sapientis, sed ipse quoque laetatur, quod artes fideliter exculta aptissima sint arma suae senectutis. x) Multae autem in hoc vno fuerunt artes atque scientiae, quod & multis vitur exemplis historiae Romanae y) pariter ac Graecae z) & poetarum ostentat a) lectionem, & quod maximum est, de oratoria sua facultate b) iuris praecleara c) scientia & Philosophia Graeca d) plurimum gloriatur, quanquam huius subtilitati Romanam longe anteponit simplicitatem. e) Quas quidem scientiarum laudes eundem sibi non iniuria assumere, iustis testimoniis facile possumus confirmare. Cum enim antea Prisci haberet cognomen, Plutarchus testatur f) propter sapientiam adeptum esse cognomen Catonis, quo tamen maxime innotuit. Quid vero mirum, historiae Romanae & Graecae non

A 3

minus

t) Vide cap. 4. §. 10. cap. 5. §. 14. cap. 6. §. 16. 19. cap. 12. §. 41.

u) ib. cap. 2. §. 4. 5. conf. Laetius. cap. 2. §. 6. 9.

x) in Cat. c. 3. §. 9.

y) ib. §. 15. 27. 37. 55. 56. 60. 61. 75. 83.

z) ib. §. 20. 21. 22. 30. 31. 40. 54. 59. 69. 78. f. &c.

a) ib. §. 10. 14. 16. 20. 25. 36. 50. 65. 73.

b) ib. §. 28.

c) ib. §. 38.

d) ib. §. 78. & §. 39.

e) ib. §. 22.

f) in Vita Cat. p. 244. ἐκαλεῖτο δὲ τῷ τρίτῳ τῶν ὀνομάτων πρότερον ἢ καίτων ἀλλὰ πρόσκιος, ὕστερον δὲ τὸν καίωνα τῆς δυνάμεως ἐπὶ ὄνομα ἔθηκε. ἴσως αἰεὶ γὰρ τὸν ἔμπειρον καίωνα ὀνομάζουσι Plin. L. VII. c. 31. Reliquis animi bonis praefitere ceteri mortales sapientia, ob id Cati corculi apud Romanos cognominati.

minus exempla quam poëtas in promptu esse, cum, teste Nepote g) nihil facile possit reperiri, neque de Græcis neque de Italicis rebus quod ei fuerit incognitum? Quanta certe cognitio historiae Romanæ in eo fuerit, facile intelligitur ex septem Originum libris, quorum idem Nepos recenset argumenta. De Catonis eloquentia iudicium ferat non tam summus orator h) quoniam suspectum videri posset, sed acerrimus oratorum iudex Quintilianus i) qui Catonem in eloquendo velut Atticum Romanorum fuisse prædicat. De iure etiam libros scripsit. l) Quod vero audierit philosophos, & de voluptate, immortalitate animi & vita futura plane disputat Platonicè, atque nobis veterem orationem Archytæ, Tarentini philosophi, commemorat m) quæ sibi sit tradita, cum esset adolescens Tarenti cum Q. Maximo: illud pulcre consentit cum eo, quod Plutarchus testatur n) eum, quo tempore Fabius Maximus Tarentum receperit, sub eo stipendia fecisse, ibique hospitio cuiusdam Nearchi Pythagorici usum, animum applicuisse ad philosophiam, a quo eadem, quæ Plato etiam docuerit, percepisset. Fuit tamen in præceptis, quæ ad filium scripsit, etiam illud o) ut bonum esse, Græcorum literas inspicere, non perdiscere, moneret. Enimvero vniuersam philosophiam habuit inuisam & ambitione quadam omnes Græcas artes atque disciplinas contempsit p) qua de causâ Græcos quoque philosophos Roma relegauit, quod ab his corrupti Romanam iuuentutem existimaret & palam præ se ferret, Romanos, Græcis studiis repletos, rem suam perdituros esse. Sed vero hæc facile cum animo & studiis Catonis conueniunt, qualia quidem eius, de senectute hic differentis, prodit oratio. Tanta enim, in illo fuit seueritas virtutis, ut in eo se sapientem esse dicat, q) quod naturam optimam ducem, tanquam deum, sequatur, eique pareat. Accessit summa parsimonia, continentia & moderatio r) ut solus Cato posset videri, ne bellum voluptatibus indixisse videatur. s) Neque vitia dissimulat. Namque quis dubitet, hominem gloriosum esse, qui prædicet

post

- g) in ejus vita cap. 3.
 h) in Bruto c. 17.
 i) Inst. Orat. L. XII. c. 10. §. 39.
 l) Cic. de oratore L. II. c. 32.
 Conf. L. I. c. 37.
 m) in Cat. §. 39.
 n) in vita ejus p. 245.
 o) Plinius L. 29. c. 1.

p) Plutarchus p. 254. l. c. ὅλος
 Φιλοσοφία προσκεκρωκός, καὶ παι-
 δείαν ὑπὸ Φιλοτιμίας προσηλιακ-
 ζων.

- q) in Cat. §. 5.
 r) ib. §. 56.
 s) ib. §. 46. 39.

post Fabium Maximum neminem fuisse, a quo discere potuisset t) qui recenseat munera publica, a se laudabiliter administrata u) qui præclara facinora iacter x) qui iacter senectutem suam y) qui denique diuinitatem ipsam post mortem speret z) vbi quidem virtus eius eximia nihil ostentat, quod non ita esse vitæ ipsius scriptores confirmant a) sed tamen præstabat, alios illud & scire & commemorare. Nihil autem ita amaui sicut filium, qui decessit Prætor, ad quem se morte peruenire posse gaudius est. b) Nihil ita odit, sicut Carthaginem, cui male cogitanti bellum multo ante denuntiabat. c) Atque talem fuisse Catonis animum multa eaque certa sunt indicia. Namque quis dubiret de Catonis virtute? Certe Valerius Maximus memoriæ prodidit d) in Catone fuisse omnibus numeris perfectam virtutem, quod quidem effecerit, vt, si quis sanctum & egregium ciuem significare vellet: sub nomine Catonis definiret. Quid multa? ipse apud Plutarchum testatur e) tantam suæ innocentie fuisse laudem, vt, si qui quid peccarent, hac vterentur excusatione, quod non essent Catones, iique, qui virtutem suam absurde imitatione, sinistri Catones appellarentur vulgo; quod Iuuenalis spectauit, cum de absurdo virtutis ostentatore dixit: tertius de cælo cecidit Cato. Ipse quidem tam præclaram virtutem didicit Fabii Maximi morumque eius imitatione f) quod supra confessus est. Æternum sane seueritatis Catonianæ monumentum est tristis eius censura. Quam cum ambiret, tota nobilitate propter tantæ virtutis terrorem repugnante, non ille, quod ceteri candidati, plebem prenfare, sed palam minitans malis de tribunali, vociferari, ciuitatem vehementi opus habere expurgatione, si sciret, non lenissimum, sed se asperrimum deligeret medicum. Neque enim se statuebat indigere honoribus, sed honores indigere Catone. Quæ ipsa sententia cum esset totius populi, creatus censor, tam seuerè exercuit censuram, vt septem senatores moueret senatu & in his non solum L. Flamini libidi-

t) ib. §. 12.
 u) ib. §. 18.
 x) §. 32. 42. 82.
 y) §. 46.
 z) §. 81.
 a) Nepos & Plutarchus in vita Catonis. Jo. Glandorpianus in Onomastico Rom. p. 714. Martinus Hanc-

kus de Scr. Rom. L. I. c. 2. & Fabricius Bibl. Lat.
 b) in Cat. §. 85. §. 15.
 c) ib. §. 18.
 d) L. II. cap. vlt. conf. Liv. L. 39. c. 4. Cicero pro Planecio c. 8.
 e) p. 252. 253.
 f) Plutarchus p. 245.

bidinem notaret, quod ipse refert g), sed etiam prateriret Manilium, propinquum consulatui, quod interdum, idque filia vidente, osculum fixisset vxori, addens seueritate iocosa, sibi nunquam a coniuge ferri amplexum, nisi in tonitruo vehemente propter eius metum, ut ioue tonante felix videri possit. h) Hem vero! quanta fuit continentia? non in quemquam omnium grauius seueriusque quam in semet ipsum imperium exercere, parsimonia, vigiliis, labore cum vltimis militum certare, nec quidquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium habere: tales mores Catonis & quidem consulis. i) Intus autem domique adhuc praestantior. Ad quam quidem domesticam parsimoniam, iucundum est audire Plutarchum, k) qua ratione adductus sit. Cum enim haud procul eius praedio M. Curii esset tuguriolum, noster accedit, contemplantur loci angustiam, habitationis vilitatem, denique cogitat de habitatore: hem iste Romanorum maximus tot gentes subegit, Pyrrhum eiecit, & post tres triumphos tamen hunc agrum fodit, tuguriolum inhabitauit & rapa elixans aurum Samnitium repudiauit, quod auro nihil opus esset ei, qui hac caena contentus esset. Quid multa? compunctus animo, Cato, abit domum, praedia, famulos, victus rationem inspicit, laborem sibi intendit, luxum omnem amputat. Et deinde sapius accedens ad Curii tugurium, perpetuum suae habitus temperantiae magistrum. Quod etiam senex ne videretur potuisse obliuisci, effecit Cicero in huius sermone l) ut nequam oratoris artem satis admirari. Talis itaque cum esset Cato, insensissimum voluptatibus omnique luxuriae fuisse necesse est. Quo minus equidem miror, tam vehementer senem detonare apud Ciceronem aduersus voluptatem, si recordor, eum iam censorem multas res novas in edictum addidisse, qua re luxuria reprimeretur m) & antea consulem fuisse inexorabilem precibus lacrimisque feminarum, cum de lege Oppia abroganda ageretur, qua cautum erat, ne qua mulier plus semuncia auri

g) §. 42. Cat.

h) Plutarchus p. 252. Liuius L. 39. c. 40. 41. 42. vbi multa de Flaminio disputat.

i) Liu. L. 34. c. 18.

k) p. 245. l. c. En Catonis imaginem apud Valerium Maximum L. II. cap. V. Exiguam viri patrimonii-

um, adstricti continentia mores, modicae clientelae, domus ambitioni clausa, patris generis vna imago, minime blanda frons, sed omnibus numeris perfecta virtus.

l) §. 55. Cat.

m) Nepos cap. 2. in Cat.

auri haberet: neu vestimento versicolori vteretur: neu iuncto vehiculo in vrbe oppidouē aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur. n) Fuit sane vitiosum in Catone illud gloriandi studium, cuius causam Plutarchus hanc affert, quod iactantiam manifestam magnorum operum comitem & ministram arbitraretur. o) Tanta fuit ferocia virtutis atque confidentia, vt etiam vitia sua vereri inuidiam existimaret, & prope dicere liceret, quod Seneca de Catonis Vticensis quodam vitio dixit: facilius effecerit, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem. Sed duo adhuc mihi exponenda sunt, odium eius in Carthaginem & tenerrimus in filium natu maximum amor. Carthaginis quidem diruendæ autor fuit perpetuus. p) Cum enim a senatu missus, vt res Africæ inspiceret, comperiret, urbem inimicam Romæque æmalam post priores clades & recuperasse vires & infestam agitare consilia: veritus, ne patriæ, iam multum ab antiquis moribus ad luxuriam prolabenti, nimis esset periculosa, omnibus sententiis, in senatu de quacunque re proposita dicendis, adicere solebat: sed Carthaginem quoque delendam esse censeo. q) Quod quidem ciuiliū consiliorum postremum ei fuisse, cum plane doceat Plutarchus, r) pulcre Cicero hic quoque senem facit, Carthaginensibus bellum denunciantem. In quo quidem ille mortui quoque autoritatem ostendit s) valuisse. Quod autem eum inducit t) Scipioni victoriam & Carthaginis expugnationem diuinitus quasi vaticinantem, in eo mihi fere ridiculus videbatur, qui post euentum vatis sumere sibi veller personam, donec mihi eo admirabilior videretur, eodem loco cum apud Plutarchum reperirem, quod, cum Cato, Scipionis, adolescentis adhuc, facta præclara audiens, de hoc prædicasset u) solum omnium habere vitam & spiritum, reliquis instar umbrarum vagantibus, hic ipse, vrbis Africanæ excidio deinde illustri, existimatus

B

matus

n) Liv. L. 34. c. 1. ff.

o) ὁ δὲ καίτων ἀεὶ μὲν τις ἦν ὡς ἔοικε τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδῆς, καὶ τὴν ἀντικεινὴν μεγαλαυχίαν, ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλαυχίας, ἐπιφένυγε. Plut. p. 250.

p) Velleius Paterculus L. I. c. 13.

q) ἐκεῖνο δ' ἦδη καὶ βιωτότερον τὸ περὶ παντὸς ἢ δῆποτε πράγματος γνώμην ἀποφαινόμενον, προσεπιφαι-

νεῖν ἔτος. δοκεῖ δὲ μοι καὶ καρχηδόνα μὴ εἶναι. p. 256.

r) ἔχατον τῶν πολυτευμάτων αὐτῆ τὴν καρχηδόνας ἀνάστασις οἴεται γεγονέναι. ibid.

s) de officiis L. I. c. 23.

t) in Cat. §. 18.

u) p. 256. οἷος πέπνυται τοῖς δὲ σκιαι αἰσθεσι.

inatus sit Catonis quasi vaticinium hoc modo impleuisse. Sed Catonis in filium amor facile potest cognosci x) ex ipso Catone apud Plutarchum. Dulce autem est videre, qualis domi fuerit Cato. Primum enim, nato filio, vxori eum lauanti fasciisque inuoluenti adfuit fideliter. Deinde vt primum aptus erat institutioni, ipse eum docet literas, leges, mittere iaculum, pugnare armis, equitare, pugnum inferre, tolerare æstum & frigus, vortices & gurgites fluminis superare natando. Hic tu videre optares hanc frigeris æstusque disciplinam, & filio præudentem Catonem, quem tamen exhorrescens, trepidat Carthago. Sed hic filius, cum multas magnasque res laudabiliter gessisset, iamque Prætor esset, morte eripitur e patris sinu. Hunc igitur, tantis curis tanto labore eductum, non lugeret? eius casum non acerbissime deploraret? Pulere itaque Cicero, qui mortem quoque Catoni iucundam effecisse ostendit hanc cogitationem, quod in altera vita filii societate frui posset. Sed de animo Catonis, captus eius pulcritudine, fui fortasse nimius. Quam firmum autem, quam robustum fuit corpus, quod tam excelsi animi erat domicilium? Quartum ait y) annum ago & octogesimum, tamen, vt vos videtis, non plane me eneruauit, nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non amici, non clientes. Quem vero lapidem philosophicum habuerit, quo vsus sit ad valitudinem confirmandam, ipse declarat. Pugnandum, inquit z) tanquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio valitudinis: vtendum exercitationibus modicis, tantum cibi & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Quo quidem sermone nihil ei affingitur, quod ita esse, non doceant historiae. Sane Valerius Maximus prodidit memoriæ a) eum, sextum & octogesimum annum agentem, in republica tuenda iuuenili animo perstitisse, neque autem memoriam eius tardio rem aut firmitatem lateris vlla ex parte quassatam, aut os hesitatione animi impeditum fuisse, quia omnia in statu suo æquali ac perpetua industria continuisset. De sua autem frugalitate ipse testatur apud Plutarchum b) nunquam se vestem centum denariis pretiosior rem gessisse, in prætura & consulatu eodem cum operariis vino vsum, obsonatum ad cœnam de foro triginta assibus, idque se ciuitatis causa fecisse,

x) Plut. p. 253. αὐτὸς μὲν ἦν γραμματικῆς, αὐτὸς δὲ νομοδιδάκτης, αὐτὸς δὲ γυμναστῆς &c.

y) in Cat. §. 32.

z) ib. §. 36.

a) L. VIII. c. 7. conf. Cicero in Bruto c. 20. Plutarchus in libro, num feni gerenda republica, c. V.

b) p. 246.

cisse, ut corpori vires ad bellica officia sufficerent; vestem fragulam Ba-
byloniam pictam cum accepisset hæreditate, vendidisse statim, denique
domiciliorum suorum nullum fuisse incrustatum. Iam ut de fortuna eius,
etiam nonnulla videamus, ipse sane veretur c) ne propter opes & copias
& dignitatem suam tolerabilior sua senectus videatur, quam propter vir-
tutem. Et omnino constat, eum in postrema vitæ parte rem quoque fe-
cisse d) sibi, cum agriculturam magis delectare quam prodesse intelli-
geret, thermas, prædia, pascua comparauisse, quibus ne a ioue quidem no-
ceri posse aiebat. Quod si autem consideramus e) tantam fuisse eius di-
gnitatem, ut, cum a C. Casare Cos. in carcerem mitteretur, vniuersus
senatus eum sequi non dubitaret; atque, cum ludos florales spectaret, po-
pulus erubesceret, eo præsentem, postulare, ut more ludorum mimæ nu-
darentur: facile videmus, eundem non dicere nimium, quando gloria-
tur f) senatui quæ sunt gerenda, præscribo, & quomodo. Denique ut
de institutis vitæ dicamus, perstudiosus fuit agriculturæ g) atque cum de
eadem librum nobis reliquerit, ex hoc ipso apparet, quod rem rusticam
maxime suam virtutem existimauerit decere. Ita autem Cato: h) Virum
bonum cum laudabant maiores nostri ita laudabant, bonum agricolam
bonumque colonum; amplissime laudari existimabatur, qui ita laudaba-
tur. Quocirca etiam non dubitat commemorare amicitiam cum rusti-
cis, Sabinis suis, excultam i) cum quibus etiam conuiuia instituebat, ut po-
te quem etiam sodalitates & magisteria delectabant. Enimvero k)

Narratur & præci Catonis

Sæpe mero caluisse virtus.

Ex amicis suis nominat maxime Fabium Maximum l) cuius etiam vitam
æmulatus est; Ennium poetam m) quem ex Sardinia Prætor secum attu-
lit Romam, ut in Græcis literis haberet doctorem, inprimis autem Val-
Flaccum n) quem habuit in consulatu & censura collegam, cum eius
consilio accessisset ad rempublicam. Sed ne illud quidem videtur esse præ-
tereundum, quod hic sæpe vitur apophthegmatibus, etiam Græcorum.

B 2

Namque

- c) §. 8.
d) Plutarchus p. 254.
e) Valerius Maximus L. II. c. vlt.
f) §. 18. conf. §. 61. Cic. de in-
uent. Lib. I. c. 4.
g) §. 51. 60.
h) in Præf. Libri de re rustica.

- i) §. 24. 44. 45. 46.
k) Horat. L. III. Od. 29. quem
locum fuisse vindicat Dacierius.
l) §. 9 - 13.
m) §. 10 - 14.
n) §. 42.
o) §. 62. Fabii. §. 11. Gorgia

Namque hanc eius fuisse consuetudinem Plutarchus magno exemplorum numero demonstrat & Cicero quoque docet, p) Catonem eius generis facietas collectas peculiari comprehendisse libro. Atque hæc quidem hæcenus, quæ omnino Ciceronis artem in Catone scribendo luculenter ostendunt. Pertinent autem omnia ad decorum personæ. Sed vero cum præter illud etiam decorum rerum considerandum sit, ut de re quaque ita dicatur, quemadmodum est consentaneum, multa adhuc dicenda restarent. Sic enim de senectute loquitur more senili quidem, atamen prudenti, ut amplissima mihi sit facultas Catonem Ciceronis cum Homeri Nestore comparandi. Quando autem disputat de agricultura, vineis, pascuis, arboreis & huius generis reliquis, multa hic furatus essem a Gesneri Rusticis, aut potius ab Gesnero ipso, & eius Indice. Quid enim in hoc genere reliquum est, quod eius avaritia non occupavit, ut iis, qui post eum veniunt, vix liceat in vacua venire? Sic in aliis argumentis decorum rerum quoque persecutus essem, nisi vererer, ne nunc quoque molesta esset nostra garrulitas, relinquenda senibus. Itaque potius pergo ad id, quod scribendi occasionem suppeditavit, & cum tres iuuenestorum probitate & diligentia facile se commendantes,

Otto Hieronymus de Stutterheim, Eques Marchicus, de nobilitate animi,

Christianus Friedericus Mündius, Torgauensis, de eultura ingenii, & Joannes Nicolaus Reisländius, Torgauensis, de laude Lycei patrii, verba facturi, deinde Germanico carmine vale nobis dicere, iis autem

Friedericus Börnerus, Lipsiensis, de laude ingenii differens, abitem gratulari constituerint, Patronos & Fautores nostrarum Musarum perofficiose rogo & invito, ut hos oratores iuvenes cras, sacris publicis finitis, quod faustum felixque sit, audire perbenevole velint.

Dedi d. XI. Aprilis, A. O. R. ∞ Io CCXXX.

§. 13. Themistoclis 8. Milonis Cro- | rii 56. Lyfandri 64. Solonis 72. 73.
toniatae 27. Sophoclis 22. 47. Cu- | p) de officiis L. I. 29.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112





TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

DE
 NE DECORA
 ONIS
 RONIANI
 XPONIT
 ET
 NES IVVENILES
 A. O. R. ∞ 15 CC XXXX
 DIENDAS
 S ET FAVTORES
 EI NOSTRI
 SSIME INVITAT
 NR. REINHARDVS
 RAVIENSIS RECTOR
 RGAVIAE
 ETERSELLIANIS

18

2